



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

§. II. De Successione Descendentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

quod in successione, quæ ex jure sanguinis venit, tres Ordines attendantur, scilicet *descendentium, ascendentium, & collateralium*. Affinium nulla est successio, nequidem regulariter in *fidei commissis*, excepto casu, quo omnes consanguinei deficiunt, & matrimonium filii, vel filia morte solum sit; tunc enim gener, vel nurus ad fidei commissum in subsidium admittitur. *l. ult. C. de verb. & rer. signific. Boehmer. in position. de success. ab intestat. cap. 1. §. 13. & seq.*

Jam vero, antequam ad jus, ordinemque ab intestato succedendi juxta jus novissimum (omissa juris pristini, sive Legum XII. Tabularum & Codicis varietate, de qua pluribus Civilistarum) scilicet *Novell. 118.* exponendum progrediamur, illam quaestionem paucis excutere placet. An nimirum *successio ab intestato* origine sit juris naturæ, num juris positivi? Ad illud præter complures alios referunt ex nostratibus Magnif. P. Schmier *lib. 3. tract. 4. part. 2. cap. 1. num. 17. & seq.* & Clariss. D. D. Peregrini *ad Inst. tit. de hered. quæ ab intest. num. 4.* Ego conformiter iis, quæ scripsi in *tit. præced. §. 1.* dum eadem quaestio de *successione testamentaria* incideret, sic decido, & dico, *successionem ab intestato*, si ex forma, consideretur, secundum quam hodie determinata est, esse creaturam *Juris Civilis*, origine vero, & usu *Juris Gentium*, cui tamen introdu-

cendo ut in aliis hujus juris scitis, & placitis usüvenire solet, æquitas naturalis incitamento fuit, approbante hunc succedendi modum ipso Numine *Num. 27. à §. 8.* ubi gradus successionis ab intestato venientium his verbis determinavit: *Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hereditas. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. Quod si fratres non fuerint, dabitur hereditatem fratribus patris ejus. Sin autem nec Patruos, dabitur hereditas his, qui ei proximi sunt.* Cur vero dicam, *successionem ab intestato* esse origine *juris gentium*, hanc rationem reddo, quod successio hæc, facta bonorum divisione, demum coeperit, hanc autem divisionem ignorat jus naturæ, quo omnia sunt communia *§. 11. Instit. de R. D.* sed eam usus, & necessitas, ne in incerto fluctuarent bona, efflagitavit, & certum successorem extorsit *§. 2. l. de J. N. G. & C. l. 2. ff. de J. & J.* unde illi textus, qui naturalem portionem liberis deberi, vel naturam liberos ad *successionem* vocare dicunt, ut *l. 7. ff. de bon. damnat. l. 36. §. 2. C. de inoffic. testam.* ita exaudiendi sunt, ut *successionem*, quæ defertur ex sanguine, ab æquitate maximopere commendent, neutiquam tamen jure naturæ introductam fuisse definiant. Hæc pro generali notitia hujus materiæ præliminariter dicta sunt. Jam ad ipsas hujus *successionis* species digrediamur.

§. II.

De Successione Descendentium.

SUMMARIUM.

10. Quid circa descendentes in ordine ad hanc successionem jure novissimo cautum sit?

fit? 11. Qui in capita, & qui in stirpes succedant. 12. Hæc successio parit obligationem conferendi bona. 13. 14. Quandonam nepotes ad collationem teneantur, exponitur. 15. Quæ bonæ collationi obnoxia? 16. Quousque jus representationis extendatur? 17. An Nepos post mortem avi conceptus eidem ab intestato succedat? 18. Affirmamus. 19. Satisfit AA. 20. Quomodo legitimati succedant, explicatur. 21. Statuto exclusæ feminæ existentibus masculis, etiam excluduntur à legitimatis per subsequens matrimonium, non per rescriptum talibus. 22. Tollitur oppositio. 23. De successione liberorum naturalium agitur. 24. 25. 26. 27. Item de successione adoptivi & arrogati. 28. Quid de filiis hereticorum? 29. Quomodo inter liberos diversi matrimonii successio reguletur?

Primus ordo succedentium ab intestato est *descendentium*, sive liberorum sine distinctione, an sint in potestate patria constituti, nec ne, an descendentes immediati, ut filii, aut mediati, ut nepotes, an mares, vel feminae, an Clerici, vel Laici, omnis quippe hodie sexus, & emancipationis differentia sublata est. Et hi excludunt omnes *ascendentes*, & *laterales*. *Nov. 118. cap. 1.*

31 Quodsi proinde *descendentes* fuerint in I. gradu, duo v.g. filii, & duæ filia, succedunt æqualiter in *capita*, seu portiones viriles. *Auth. in successione C. de suis & legitim. hered. §. 6. Inst. h. t.* cum enim naturæ ordo vult utque parentum sit, ut descendentes ad successionem honorum veniant, sicut æqualiter sunt filii, ita æqualiter erunt hæredes: sin vero unus filius, vel filia iterum habuerit filium, tunc patre vivente ad hæreditatem avi nepos iste tanquam in gradu remotior non admittetur, patre vero vel matre mortua, in ejus locum succedet nepos, & accipiet partem illam *jure representationis*, quam defunctus accepisset, si vixisset. Imo, si plures reliquisset liberos defunctus, omnes qui-

dem isti nepotes filium representarent, avoque succederent, sed tantum in portionem *virilem*, quam scilicet pater eorum accepisset, si vixisset, & ita liberi secundi, vel ulterioris gradus in *stirpes* succedent, sive deinde soli sint, sive cum liberis primi gradus concurrant §. 6. & *ult. Inst. h. t. l. 2. Cod. de suis & legitim. liber.* Ratio est, quia licet nepotes isti, si soli sint, non habeant opus *jure representationis*, cum omnes sint in eodem & pari gradu, & suo jure succedant, quia tamen avo sui & proximi hæredes esse nequeunt, nisi in patris sui locum succedant, & ita primum gradum assumant §. 2. *Inst. de hered. qualit.* hinc respectu patris sui, in cujus locum subintrant, eandem etiam partem capiunt. Id quod non tantum procedit in nepotibus, sed etiam pronepotibus, & ulterioribus descendentibus, sive sint in gradu æquali, sive inæquali, uti concurrentes nepotes, & pronepotes d. §. 6. & *ult. Inst. h. t.* Ratio hujus successionis descendentium, & exclusionis aliorum redditur in l. 220. ff. de V. S. quia idcirco, ait Calistratus, *filios, filiasve concipimus, atque edimus, ut ex prole eorum, earumve diuturnitatis nobis me-*

mo-

moriam in ævum relinquamus. Et licet ascendentes, & alii sint æque propinqui, quia tamen amor descendit, non ascendit, & naturalis stimulus parentibus suggerit, ut liberis bona parent, & locupletent eos *l. 50. ff. de bonis libert.* nam filii non debent thesaurizare parentibus, sed parentes filiis. *cap. 6. §. prohibemus de censib.* idcirco jure à descendantibus excluduntur ascendentes, aliique à latere conjuncti.

12 Ex hac vero successione fluit obligatio conferendi bona, quæ liberi adhuc inter vivos à parentibus acceperant, ne alias inæquales in successione fiant, qui æqualiter à parentibus sanguinem traxere, quod *jus collationis* ab æquitate summopere commendat Ulpianus in *l. 1. princ. ff. de Collat.* Et ad hanc collationem non modo tenentur liberi primi gradus, sed etiam nepotes, ubi tamen videndum, an nepotes concurrant cum filiis, num vero inter se soli. Si cum filiis concurrant, tunc aut hæreditate paterna se abstinere, & soli avo succedere volunt: aut simul hæredes patris, & avi fiunt. Hoc ultimo casu res est expedita, tenentur nimirum ad collationem ex persona patris, utpote cujus factum, quæ hæredes præstare tenentur *l. 14. C. de R. V.* & quidem ad omnia ea bona, quæ pater ipse fuisset collaturus, & non tantum, quæ ex bonis patris ad eos devoluta sunt. *arg. l. 14. C. de Collat.* Stryck. *tract. de success. ab intest. dissert. 11. cap. 2. §. 13.*

13 Primo vero casu, si nepos paterna hæreditate abstinet, solique avo succedere cupit, collationis oneri non subjacet. Est contra communem teste

Stryckio *cit. cap. §. 15.* Ratio est, quod, quanquam nepos avo succedat jure representationis, tamen non personam, sed gradum duntaxat representat. Struvius in *Not. ad tract. Anton. Matth. de success. cap. 17. v. 28.* unde sequitur, quod ad onera personæ cohærentia (quale quoque onus est obligatio conferendi) nepos non teneatur, si enim pater abstinendo ab avita hæreditate ab onere collationis se liberare potuisset, cur non idem posset nepos abstinendo se à paterna, cum in hoc casu non succedat avo ex persona patris, sed ex sua persona vi beneficii à Præatore concessi in *l. ult. C. unde liber.*

Altero casu, si nepotes soli concurrant, iique paterna hæreditate abstineant, idem, quod in priori casu, dicendum, nimirum eos ad collationem non teneri, quia suo jure, non ex persona patris ad hæreditatem avi veniunt, licetque ipsis ex beneficio *cit. l. ult. Cod. unde liber.* hæreditatem avi à paterna separare. Vide rursus Stryckium *cit. cap. §. 17.*

Bona vero collationi obnoxia sunt 15 illa ipsa bona, quæ liberi à parente, cui succedunt, in vivis acceperunt, *l. ult. C. de Collat.* ut est dos, donatio propter nuptias, imo etiam donatio simplex, & alia ejusmodi, nisi tamen pater conferre expresse prohibuerit, id quod facere eum posse elucet ex *Novell. 18. cap. 6.* Huc tamen non pertinent bona propria, nec quæ ad belli apparatus, vel ad studia à parentibus consecuti sunt liberi, nisi rursus parentibus aliter disponere visum fuerit *l. 50. ff. famil. exercisc.* Vide de bonis conferendis Stryck. *tot. cap. 3.*

Quares 1. Quousque jus repræ- 16
R sen-

sentationis extendatur, an tantum ad nepotes, vel pronepotes, an ad ulteriores gradus? Resp. ultra pronepotes in infinitum extendi per *Novell. 118. cap. 1. §. ult. Inst. h. t.* Ratio est, quod æque in abnepotibus & ulterioribus memoria patris conservetur, imo magis, quam in nepotibus, & pronepotibus: ergo, si isti admittuntur, etiam illi admittendi erunt, præsertim cum restrictio *juris representandi* tantum circa lineam lateralem in jure habeatur. P. Haunold. *tom. 1. tract. 5. cap. 3. controuv. 2. §. 2. num. 407.*

17 Quæres II. An ad hoc, ut nepos ad successionem avi admittatur, debeat fuisse natus, vel saltem conceptus vivo avo? v. g. Avus decedens reliquit filium hæredem vel ex testamento, vel ab intestato, qui filius, dum deliberat, ipse suscipit filium & abstinet ab hæreditate, quæritur, an iste nepos avo succedere possit? Vel: avus ex hæredat filium, & instituit hæredem extraneum, mortuo avo moritur & filius, relicto tamen etiam filio, hæres scriptus repudiat hæreditatem, quæritur an filius iste, sive nepos avo succedat? Id equidem certum est ex *§. 8. Inst. h. t.* quod nepos etiam conceptus vivo adhuc avo eidem succedat, licet tempore mortis avi in lucem nondum editus fuerit, qui enim conceptus, & in utero est, quodammodo in rerum natura esse existimatur *l. 7. ff. de suis & legitim. l. penult. ff. de stat. homin.* Quod si vero mortuo jam avo primum conceptus & natus fuerit, an tunc jus succedendi ab intestato habeat, id enimvero incertum, & dubium est. Negant eum succedere Gomez, Anton. Perez, Harprecht ad *§. 8. Inst. h. t. n. 4.*

Bachovius ad *Treutler. de success. ab intest. thes. 1. lit. G. §. an nepos* & alii tum propter expressum textum in *d. §. 8. Inst. h. t.* tum propter æque claras leges in *l. 6. §. 1. ff. de injust. rupt. §. l. 6. §. qui post. ff. de suis & legitim. hered.*

At nec *cc. ll.* nec *DD.* phalanx nos terret, quominus in favorem nepotis nondum concepti pronunciemus. Imprimis enim in *d. Novell. 118. cap. 1.* à Justiniano indistincte vocantur filii & nepotes ad *ascendentium* successionem, nec distinguitur, an nepos fuerit conceptus, vel in utero extiterit tempore morientis avi, nec ne, quod tamen nullo negotio, si voluisset, exprimere potuisset: ergo verba Imperatoris, generaliter concepta, generaliter quoque sunt exaudienda, & ita in favorem nepotis nondum concepti interpretanda. Deinde in principio *d. Nov.* vocantur omnes *descendentes*, cujuscunque demum gradus fuerint: ergo & *trinepotes*; atqui fieri vix potest, ut *trinepos* vivente *trivavo* conceptus sit: ergo non obstante, quod nepos vivo avo nondum fuerit conceptus, nihilominus succedet, quia ratio, quæ hanc successionem fœcit, nempe ob participationem sanguinis, & perpetuandam in posteris defuncti parentis memoriam etiam in nepote nondum concepto locum invenit.

Ad oppositos textus respondetur, 19 eos per *cit. Nov. 118. cap. 1.* fuisse *cafatos*. Quod enim *cc. ll.* nepotem post fata avi primum conceptum à *successione* removerint, ratio erat, quod secundum *leges 12. Tabularum* ad successionem patris soli illi *descendentes* vocabantur, qui erant *sui hæredes*, cum
igi-

igitur nepos nondum conceptus in potestate patria esse nequiverit, etiam hæres suus, & per consequens avo succedere non potuit. Nec etiam talis nepos admittebatur ut cognatus, quia, ut Justinianus dicit, qui post avi mortem conceptus est, non potest avo esse cognatus, quia mortuo cognatio non acquiritur. Verum hodie, quando per *d. Nov. cap. 1.* liberi non solum hæredes sui & in potestate moribundi existentes, sed quicumque etiam non sub potestate constituti succedunt, nihil obstat, quominus talis nepos ad hæreditatem avi vocetur, qui, licet cognatione avum suum viventem non attigerit, eidem tamen jure sanguinis conjungitur, quoniam inter *ascendentes*, & *descendentes* consanguinitas in infinitum propagatur.

20 Quæres III. Quomodo legitimated succedant? Resp. legitimated per subsequens matrimonium, item, qui nati sunt ex matrimonio *putativo* bona fide contracto, æque ac alios legitime natos succedere. *cap. 6. qui filii sint legitim. cap. 2. & penult. eod.* Legitimated per rescriptum Principis non aliter succedunt, quam sub sequentibus conditionibus. I. Ut pater tales liberos per subsequens matrimonium legitimare nequiverit, fortassis, quod mater eorum vel jam mortua, vel pro dignitate patris in uxorem duci non possit, eo quod interim cum alio peccaverit, aut quia pater Sacerdos factus est. *Nov. 89. cap. 9.* II. Ut non habeat liberos *legitimos*. III. Ut filii naturales in legitimationem consentiant, ne scilicet inviti subjiciantur patriæ potestati. IV. Ut, si fiat legitimated post mortem patris, agnati, &

cognati consentiant. *Nov. 89. cap. 9. § 11.* Illud non officit, si, postquam legitimated fuerint, nascantur liberi *legitimi*, quia factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. *cap. 73. de R. J. in 6.* unde illud axioma ex *l. 98. ff. de V. O. petitum quod ea, quæ recte constiterunt, rursus resolvantur, cum in eum casum reciderunt, à quo non potuissent consistere*, tunc tantum procedit, cum actus necdum completus, & absolutus est, non vero in actibus perfectis, & absolutis, ut constat ex *§. 14. Inst. de legat.* & in matrimonio, quod legitime contractum ob superveniens impedimentum dirimens v. g. affinitatis non dirimitur, etsi ab hoc casu incipere non potuisset.

Quid autem in casu, quo statu-
tum extat, per quod existentibus masculis à successione excluduntur feminae, an etiam per legitimated excluduntur? Resp. si fuerint per subsequens matrimonium legitimated, affirmative, secus si per rescriptum Principis, hi enim una cum fœminis æqualiter succedent, ne scilicet illegitime nati melioris sint conditionis, quam legitime natæ filia: & quia statuta à jure communi exorbitantia stricte interpretanda, nec ad consequentiam trahenda sunt. *cap. 28. de R. J. in 6. & l. 141. ff. eod.* ergo statuta ista in casu vero tantum obtinent, legitimated autem per rescriptum non est *vere*, sed *fictè* tantum filius legitimus. *Gail. lib. 2. observ. 140.*

Dices: legitimated per rescriptum
æquiparantur legitimis quoad successionem: ergo sicut legitimated per subsequens matrimonium excludunt fœ-

minas, ita & isti. Resp. dist. anteced. æquiparantur quoad casus in jure expressos *concedo*, quoad statuta exorbitantia *nego*. Sic enim nec succedunt in *feudis*, nisi hoc expresse in rescripto cautum sit, nec illis accommodatur beneficium *l. si unquam C. de revocand. donat.* propter supervenientiam liberorum, nec consequuntur *jus primogeniture*.

Circa legitimatos *per oblationem Curie*, quomodo illi hodie succedant, supervacaneum est quærere, siquidem iste modus ab usu fori jam dudum recessit. Videatur *Nov. 89. cap. 2. § 3.*

23 Quæres IV. An, & quomodo succedant liberi *naturales*, *spurii*, & ex *damnato coitu* progeniti? Per *naturales* de Jure Civili intelliguntur illi, qui ex concubina suscepti *l. 3. princ. ff. de Concup. l. 22. C. ad Leg. Jul. de Adult. Spurii* sunt, qui ex vago concubitu, patre incerto, sive vulgo quæriti ex publica meretrice nati sunt *l. 23. ff. de stat. hom.* Ex *damnato coitu* procreati illi dicuntur, qui ex illis personis geniti sunt, inter quas nec tempore conceptionis, nec nativitatis matrimonium stare potuit, quales sunt *adulterini l. 6. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult. Sacrilegi. cap. Virginibus C. 27. Q. 1. incestuosi, & nefarii §. 1. Inst. de nupt. l. fin. ff. de rit. nupt. cap. 8. C. 35. Q. 2.* Hac explanatione præmissa

Dico, *naturales* (idem est de *spuriis*) in casum extantium liberorum legitimorum, aut uxoris legitimæ à successione penitus excludi, alendos tamen à *legitimis* pro mensura substantiæ arbitrio boni viri. *Nov. 89. cap. 15.* si vero nec liberi, nec uxor legitima adsint, succedunt patri, nisi is incertus

si (ut communiter ex talibus proffibus esse solet, aliter ac is, qui concubinam habet) cum matre sua in *sexante* pro partibus virilibus, ut scilicet tantundem accipiat mater, quantum unus ex filiis, reliqua ad agnatos, & cognatos pertinent. *Auth. licet C. de natur. liber. Novell. 18. cap. 5. Nov. 89. cap. 12. §. si quis autem.* Quod si solos parentes superstites pater naturalis reliquerit, *legitima* illis assignata, reliqua impune liberis naturalibus relinquere ex testamento poterit, vel inter vivos largiri. *d. auth. licet.* In hoc vero *spurii* rursus deterioris conditionis existunt, quam *naturales*, quod illi in bonis maternis æqualiter cum legitimis succedant, tamen si mater *illustris* fuerit, ita ut etiam querelam inofficiosi habeant. *l. penult. C. ad SC. Orphitian. l. 29. §. 1. ff. de inoffic. testam.* *Spurii* vero matri *illustri* non succedunt *d. l. penult.* bene vero matri non *illustri* §. 3. *Inst. de SC. Orphit.* Qui vero ex *damnato complexu* geniti sunt, illi nec patri, nec matri, nec aliis ascendentibus nec ex testamento, nec ab intestato succedunt. *Auth. ex complexu C. de incest. §. injust. nupt. Novell. 74. cap. ult. Nov. 89. cap. ult.* ita, ut nec alimenta quidem ipsis præstanda sint, quem rigorem tamen ita temperavit Jus Canonicum in *cap. 5. de eo, qui duxit in matrim.* ut saltem alimenta in ea quantitate ipsis suppeditentur, qua ad tolerandam vitam opus habent. Necare enim videretur, qui alimenta proli denegaret *l. 4. ff. de agnosc. & alend. liber.* unde matri incumbet etiam alimentatio *spurii* primo triennio, deinde vero patri, vel in subsidium matri *l. 5. §. 14. ff. d. t. l. 34. ff. de negot. gest. l. pen-*

l. penult. C. de patr. potest. quo sensu etiam *d. cap. 5.* intelligendum est, ordine scilicet successorio, non vero simultaneo vocans parentes. Ratio autem, cur alimenta Jure Civili negentur, est, ut refrænetur parentum libido, *l. fin. C. de natur. liber.* qui, ut habet *l. 8. ff. quod met. caus.* magis in liberis, quam in se terrentur, ex qua ratione merito etiam ad matrem hæc Sententia transfertur, *Gloss. in d. auth. ex complexu.* Canisius in *cap. 1. h. t. num. 32.*

24 Quæres V. Quomodo succedant adoptivi, & arrogati? Resp. I. adoptivus in specie ab extraneo succedit patri adoptivo ab intestato, sicut alii liberi legitimi, si scilicet tempore mortis adhuc duraverit adoptio *§. 2. Inst. de adopt. l. 10. §. 1. & 2. C. eod.* consequenter etiam si solus fuerit, alios ascendentes excludet, sicut excluderet legitimus *l. 5. C. de suis, & legitim. liber.*

25 Resp. II. Adoptatus ab ascendente v. g. avo, succedit ab intestato, sive adoptio duraverit, sive emancipatus fuerit, quia per *Nov. 118.* emancipatus jus successionis non amittunt *§. 2. Inst. de adopt.* imo talis adoptatus probabiliter non tantum avo, sed etiam patri suo naturali succedet per *d. Novell.* quæ indistincte omnes descendentes cujuscunque naturæ, vel gradus fuerint, ad suorum parentum successionem vocat, non obstante *l. penult. C. de adopt.* ubi contrarium dispositum videtur, quam probabilius correctam fuisse per *d. Nov.* tenent Hunnius, & Haunoldus de *success. ab intest. tract. 5. cap. 3. num. 439.*

Resp. III. Arrogati non emancipati succedunt patri arroganti pariter, sicut legitimi, quia ex arrogatione jura suorum assequuntur. *l. 40. ff. de adopt.* Wesenbecius in *paratitl. ad h. t. n. 6.* quodsi arrogati fuerint *impuberes*, iique sine causa emancipati, aut exheredati, succedunt in quarta *allodialium* ex lege D. Pii, non vero *feudaliuum*, in quibus adoptati excluduntur. *§. 3. Inst. l. 22. ff. de adopt.* An vero hæc quarta sit *omnium bonorum*, vel portionis *ab intestato* debitæ, & utrum hodie etiam ad *trientem* excreverit. Vid. Bacchov. ad *Treutler. vol. 1. disp. 2. thes. 9.* aliique Civilistæ.

Resp. IV. Cognatis quoque vel agnatis adoptantis defuncti non succedit adoptatus in specie ab extraneo *l. 10. §. 1. V. & ideo C. de adopt.* succedit vero iisdem arrogatus, quia talis familiæ una cum bonis suis arrogatus efficitur, & in patria potestate arrogatoris constituitur. *§. fin. d. t.*

Quid de filiis spiritualibus, qui ratione Baptismi, vel Confirmationis tales sunt, censendum? Resp. eos ad successionem ab intestato non admitti, quia bona temporalia sanguini, non vero spiritui debentur. *Gail lib. 2. observ. 136. num. 17.* Baldus in *auth. nisi rogati C. ad SC. Trebell.*

Quid de filiis hæreticorum? illos de Jure Communi à parentum suorum successionem removeri *cap. 10. & 13. §. damnati de hæretic. l. 4. §. 6. Cod. eod.* Quod tamen in Germania non obtinet circa *reformatos*, & *protestantes* vi instrumenti *Pacis Westphal.* filii vero eorum, qui læsæ Majestatis rei sunt, à successionem arcentur, & bona parentum

tum fisco addicuntur l. 5. §. 1. C. ad Leg. Jul. Majest.

29 Quæres VI. Quid juris circa successione[m], si liberi diversi matrimonii concurrant? Resp. parenti communi, qui eos genuit, omnes æqualiter succedere. Quodsi ergo pater in bonis propriis 20000. fl. numeret, & ex duobus matrimoniis successive initis suscipiat quatuor liberos, hi defuncto patri suo æqualiter succedent, & singuli 5000. fl. capient. Sit idem exemplum de matre, quæ duos successive superinduxit viros, & ex quolibet duos liberos genuit, hi ex defunctæ matris bonis propriis, quæ supponamus fuisse 12000. fl. singuli capient 3000. fl.

Nihil ergo præcipui habent hi diverforum matrimoniorum liberi? habent omnino, & quidem I. bona sua adventitia. II. Bona, quæ conjux ex priori matrimonio superstes à prima

conjuge accepit, puta luera dotalia, & nuptialia, vel quæ III. ex successione liberorum prioris matrimonii ad conjugem superstitem pervenerunt, puta per legatum, aut donationem mortis causa Nov. 22. cap. 23. explicatius ista leges apud Stryckium de Success. ab intest. dissert. 1. cap. 2. §. 6. & segq. & Clariss. D.D. Peregrini ad tit. 1. lib. 3. Inst. §. 2. num. 10. Quodsi liberi fuerint ex diversis matrimoniis, qui communem parentem non habent, ut sunt privigni, & privignæ, hic quisque suotantum parenti succedet, non vitrico, aut noverca, nisi unio prolium inter venerit, tunc enim liberi diversi generis quoad successione[m] exæquantur. De hac unione videatur Jacobus Rickius in peculiari tract. de unione prolium & Stryck. de Success. ab intest. dissert. 8. cap. 6. per tot. & Bartholom. Musculus de Success. convent. §. anomal. Class. 1. membr. 3.

§. III.

De Successione Ascendentium.

S U M M A R I A.

30. Nullo descendente superstate succedunt ascendentes, & quare? 31. Proximiores gradu excludunt remotiores. 32. 33. Quomodo successio patris adoptantis & arrogantis reguletur? 34. Item qui filio naturali uterque parens succedat? 35. Quando mater respectu filii impuberis successione excidat? 36. Non fit distinctio inter bona paterna, & materna in hac successione. 37. Solvitur oppositio. 38. Quomodo reguletur successio patre & filio simul occumbente? 39. In hac successione non est locus representationi. 40. Remotiores si sint in gradu æquali, in quasi stirpes fit successio. 41. Cum ascendentibus ad successione[m] etiam veniunt fratres Germani, & eorum filii, exclusis uterinis & consanguineis. 42. 43. Fratres Germani succedunt in capita, eorum filii in stirpes. 44. Si soli sint fratrum Germanorum filii, eos una cum ascendentibus succedere probabilius judicamus. 45. Recapitulatur ordo successione[m]. 46. Quomodo filio naturali succedat pater,